

Mythologia, Francfort, 1581 - IX, 02 : De Oreste

Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre X

Ce document a pour résumé :

[Mythologia, Francfort, 1581 - X \[125\] : De Oreste](#)

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre IX

Ce document est une version augmentée de :

[Mythologia, Venise, 1567 - IX, 02 : De Oreste](#)

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre IX

[Mythologie, Paris, 1627 - IX, 03 : D'Oreste](#) est une transformation de ce document

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre IX

[Mythologie, Lyon, 1612 - IX, 02 : D'Oreste](#) est une traduction de ce document

Informations sur la notice

Auteurs de la notice Équipe Mythologia

Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Présentation du document

Publication Francfort, André Wechel, 1581

Exemplaire Regensburg (Allemagne), Staatliche Bibliothek, 999/Hist.pol.1307

Formatin-8

Langue(s)

- Grec ancien
- Latin

Paginationp. 953-958

Des dieux, des monstres et des humains

Entités mythologiques, historiques et religieuses [Oreste](#)

Notice créée par [Équipe Mythologia](#) Notice créée le 28/12/2018 Dernière modification le 25/11/2024



ORESTES autem fuit Clytemnestræ & eius Agamemnonis filius, qui summus Imperator fuit Græcorum, ubi Græci ad Troiam militarent, quem alij dicunt in cœniis cum domum post id bellum redisset, alij in balneo una cum nonnullis viris illustribus, per insidias Ægisthi fuisse cœsum. Ferunt Orestem parvulum domi cum matre relictum fuisse, quo tempore Agamemnon ad bellum Troianum nauigavit, ubi cantorem custodem & admonitorem Clytemnestræ reliquit. At Ægisthus Clytemnestræ desiderio captus cœtore clam per insidias in insula deserta obtuncato, illa deniq; potitus est. Hic idem Ægisthus Agamemnonis patre Orestis cœso filium quoque erat occisurus, nisi is ab Electra sorore admonitus insidias sibi parari ab Ægitho, fuga sibi salutem comparasset. Alij dicunt Arsinoen nutricem cœso patre rapuisse Orestem, eumque servasse cum esset trium annorum, ut inquit Herodorus in Pelopeia. Phœcecydes sensit Orestem à Laodamia nutrice subtratum fuisse furori, crudelitariq; Ægisthi, sed filium Laodamiæ pro Oreste fuisse ab illo trucidatum. Profugit igitur Orestes ad Strophium principem Phocensium, qui sororem Agamemnonis in matrimonium duxerat, ubi ad duodecim annos commoratus, cum iam ad robustiorem ætatem pervenisset, & paternæ cædis memor, & acceptæ ab Ægitho iniuriæ non oblitus, tanquam nuntius mortis Orestis ad Clytemnestram matrem admittitur; atq; Electra conscia, quæ data fuerat in matrimonium civi agricolæ, ne possent qui ex illa nascerentur ad regnum aspirare, matrem & Ægithum eodẽ ferro obtuncavit in paternæ cædis vitionem. Atq; hoc factum fuit in quodam sacello Palladis, quod fuit extra urbem, cum adulteri pro morte Orestis Dijs gratias agerent, ut magno periculo liberati, quæ de causa Ioui liberatori sacrificabant. Nam cum sororis marito, eiusq; coniunctis armatis templi aditum Orestes occlusit, ipseq; ingressus eum paucis sua manu ambos confodit & trucidavit. Id autem factum est ab Oreste non sine oraculi iussu, ut ait Eurip. in Oreste his carminibus:

*οὐδὲν δ' ἀδίκια μὲν τι δὴ κατηγόρει,
παῖδες δ' ὀπίσκει μὲν τῶν ἢ σφ' ἰσχύεται,
κτείνω, πρὸς ἕχ ἀπειρίας δ' ἄλλοιαι φέρων.
Quid est opus narrare Phœbi iuvant*

Matrem hic Orestis suadet illum qua edidit

Maclare : magnam quo refert infamiam.

Fuerunt tamen qui dixerint Orestem non fuisse per id tempus apud Strophium, sed dum exularet à patria è regno paterno eiectus, Argis primum potitum fuisse, deinde cum magna Arcadum manu Phocensium auxilijs fretum Sparte regnum occupasse, cui Lacedæmonij haudquaquam inuiri paruerunt, qui Tyndari nepotem multo digniorem putarunt, cui parerent, quam Nicolstratum aut Megapenthem quos Menelaus è quadam senta suscepit. His addiderunt Hermionen Menelai filiam nupsisse Orestis, de qua natus est filius Sifamenus, qui patri Orestis in regnum successit, ut ait Pausan. Corinthiacis. Narrat Orestis post illam eadē diem dictam fuisse apud Areopagitas, ut sensit Nymphodorus, ab Erinnybus vlticibus scelerum : ut verò Dionysiodorus, à Tyndato patre Clytemnestra: ut verò Amorgius Simonides, ab Erigone Ægisthi & Clytemnestra: filia: in quo iudicio cum pat esset utrinque suffragiorum numerus inuentus, absolutus fuit. Eo iudicio absolutus Orestes Aræ Mineræ aram erexit, quam ita cognomento appellauit, quia *de p. & d. s. s. p. c.* sit precati, quod preces eius audierit. Nam eò insectantibus Erinnybus è patria ad id iudicium compulsus fuerat, quo tempore Demophon Athenis regnabat. cum enim nescio quo animi stimulo ob conscientiam commissi facinoris vexaretur, è patria ad Messeniam primum profugit, qui locus distabat ferè septem stadijs à Megalopoli, ad quam urbem ubi peruenisset, mox Orestia fuit appellata, ut scripsit Acesodorus lib. secundo de urbibus. Alij dicunt Orestem Thraciæ urbem ab ipso Oreste conditam & appellatam fuisse, quæ postea vocata fuit Adrianopolis : atque ibi primum furijs correptus fuit, ut ait in Arcadicis Pausanias. Alij dicunt Orestem sibi manus alterius digitum hic abtolisse impatientem furoris, ubi migræ Furia sibi obuiaz primum fuerunt, quæ adeso digito mox sibi albæ visæ sunt, quare ad se ipsum redijt. Quidam apud Træzenies diu mansisse tabernaculum vocatum Orestis tradiderunt, quod erat insigne ædificium apud illos, in quo loco cum parua esset cella ante id tempus, illum consistere Træzenij iusserunt antequam materni sanguinis maculas expiationibus elueret : quo etiam in loco dum ritè expiaretur, solebant cum illo epulari, qui præerant illis lustrationibus. Mansit postea consuetudo

do

do apud Træzenios vt posteri illorum præfectorum in eodem loco statis diebus cœnitarent : eius autem expiationibus & laurum adhibitam fuisse, & alia lustrationum genera, & aquam ex Hippocrene fonte, scripsit Melanthes in libro primo sacrificiorum. Habuerunt enim ipsi quoque Træzenij Hippocrenen fontem, de quo longè alius est sermo, atque de Hippocrene fonte Bœzotorum. Hic in Macedoniam profectus oppidum cōdidit, quod vocatum fuit Argos Oresticum, & vniuersa regio Orestias, vt testatus est Strabo lib. septimo. Narrant Orestem Athenas per id tempus venisse, quo Lenæa Liberi patris sacrificia celebrabantur, quæ scripsit Apollodorus Anthesteria fuisse antiquitus appellata, quasi stercora dixerim. Cùm igitur inter sacrificia non admitteretur, vt pote cæde matris pollutus, dicitur Pandion hoc excogitasse: cum choam vini, (est autem illud mensuræ nomen apud Athenienses) dari singulis conuiujs iussisset, imperauit singulis vt suum biberent, neque alij de suo cuiquam infunderet, ne ex eodem cratere biberet Orestes, è quo initiati essent, neq; ex eorum vino: neq; rursus grauius ferret, quòd ipse solus seorsum ab alijs biberet. Atq; inde Chors solennitas manasse eo ritu credita est. Neque verò istud ipsam sine oraculi monitu factum fuit, quod scripsit Eurip. in Iphigenia in Tauris;

πρῶτα μὲν ὑδὲ εἰς εἶνωρ

ἰκῶν ἰδίῃ αὐτῷ, ὡς θιασὲς εὐχῆς ἔδωκεν.

οἱ δ' ἔχον κείνῳ, εἶναι μονοπράξι' ἅ μοι

πορῖχον οἰκῶν, ἕντας ὅς τ' αὐτῷ εἶναι.

εἰ γὰρ δ' ἰτακτῆσαντ' ἀπόφθικτόν μ', ὅπως

δακτῆς γινώσκω πῶματός τ' αὐτῷ δίχα.

Primumq; nullum hospitium

Me cepit, inuisum velut Deum virum.

Qui me colebant, hi mihi hospitalia

Parare soli dona, mensam & na in domo.

Silentio præbere cuncta, quo forem

Nec particeps consilij ipse, nec poculi.

Enimvero cùm postea oraculum sciscitatus esset Orestes, quo pacto posset ab eo furore liberari, responsum tuit illud fieri nō posse, nisi in Tauricam regionem Scytharū profectus Palladis statuam, quam illi eximie colebant, abstulisset in Græciam, sortemque Iphigeniam recuperaret, & in fluuio abluc-

retur, qui confunderetur cum septem fluminibus. Ille diu anceps peruenit in fines Reginorum, atq; in inuēto ibi flumine seſe abluir. Mox in Siciliam Syracuſas traiiciens ſeruit cum è Taurica rediret, templum ibi erexiſſe, & ſimulacrum Deæ conſecraſſe, quam Faſcelitim nominarunt, quia illam imaginem intrâ faſcem lignorum occultauerit Oreſtes, cum eſſet illam è Taurica exportaturus: idēq; priuſquā ſtatuam auferret, vbi primum in Tauricam acceſſit. Eo igitur cū acceſſiſſet, in vincula à paſtoribus cū Pylade coniectus, (nam Pyladē Strophij Phoceniſis filium, cum quo fuit à teneris educatus, omnium profectio- num, periculorumq; ſocium fidiffimū habuit) ad Thoan- tem regionis regē deducitur, vt de more eius gentis pro victi- ma illi Deæ maſtaretur: deinde ad Iphigeniam ad templū miſ- ſi cum ſtatua per noctē conſenſa nauicula omnes auſugunt. Sed antequam inde ſoluerēt, Oreſtes comā lugubrem in Tau- ris depoſuit, quem ritū poſtea detulit in Cataoniam, vt ſcriptū reliquit Phanodemus in lib. 7. rerū Atticarum, & Strabo lib. 11. Alij tamen voluerunt Oreſtem comā depoſuiſſe antequam ad iudicium Arcopagitarum acceſſiſſet. Cū verò rediſſet Athe- nas, Electram ſororem Pyladē in matrimonium collocauit, è qua Pylades poſtea Medōtem & Strophium filios ſuſcepit, vt ſcripſit Hellanicus Leſbius in 1. lib. rerum Æolicarum, & Ilacius in Lycophronem. Quidam præter Iphigeniam & Electram ſo- rores illi addiderunt Chryſothemim, & Laodicen, & Iphianaf- ſam. Fuerunt qui non procul à Megalopoli Oreſtem ſanitati reſtitutum crediderint, in loco quem Acen vocarunt & Ton- ſtrinam, vbi comam totondit. Alij iſtud ipſum iuxta Gytheum ſaxum contigiſſe memorant, quod ocioſum vocarunt: ſuper quo vbi ſediſſet Oreſtes, fuit ab infania liberatus, vt ait Nym- phodonus Syracuſius in *πρίπλω* ſiue navigatione, & Pauſa- nias in Laconicis. Alij tradiderunt illud iuxta Amanum mon- tem contigiſſe, vnde etiam mons ipſe nomen acceperit, cum prius Melanthius diceretur, vt ait Plutarchus in libro de flumi- nibus. Nam vbi profugientes è Tauris tempeſtate delati fue- runt in partem eius regionis, quæ Seleucia dicebatur, & ad Antiochiam, montemque Melanthium, ibi tandem dicitur Oreſtes fuiſſe liberatus à furore Erinnyum, vt ſcripſit in ſuis hiſtorijs Thrax Eumolpus. Alij Palladis conſilio Oreſtem Ar- gos adiiſſe, & Erinnyas placalle inquitunt, quare ibi eius inſa-
miam

niam placatis Eumenidibus desijisse. Cum igitur Athenas rediisset sanitati restitutus, sorore data Pyladæ socio, Neoptolemo Achilles cæso, Hermionen uxorem duxit, de qua suscepit Tifamenum: vel, ut scripsit Isacius, ex Erigone Ægisthi filia uxore ducta Penthilum genuit, habitavitq; Arcadiæ urbem Orestiam, vbi à serpente ictus extremum vitæ suæ diem concludit: cuius sepulchrum fuit apud Thyreates, ut scripsit Pausanias in Arcadicis. Huic tanquam Deo postea solennis ritus apud Træzenios fuit institutus, ut, cum Orestes in cella quadam antequam expiaretur consistere iuberetur, cum quo epulati sunt qui iustrationi illi præfuerunt, ad eius rei sempiternam memoriam, illorū posteri statis diebus in eodem loco cœnitarent. vbi verò defossa fuerūt illa piacula, lautum natā postea fuisse memorant. Sequentibus temporibus cum bellum grauissimum inter Tegeates atque Lacedæmonios exarsisset, multis cladibus affectis Lacedæmonijs responsum est ab oraculo, præsentibus calamitates cessaturas, si ventos & percutientem ac repercussum, hominumque perniciem omnem remouentes, ossa Orestis inuenisset. Lichas igitur Lacedæmonius cū Tegeam peruenisset (erant enim tunc fœderis iure omnia pacata in ciuitatibus) atque fabri ærarij officinam esset ingressus, ibi inueniri posse ossa Orestis in memoriam venit, quia ventos folles oraculum appellasset; percutientem, malleum; repercussum, incudem; hominum perniciem, ferrum, quo in prælijs cædendis hominibus vsi fuissent. atque sepulta fuisse postea Orestis ossa memorant iuxta Parcarum sanum in sepulchro Agamemnonis, vbi iussi sunt Tegeatæ ab oraculo illa sepelire, ut ait Pausanias in Laconicis.

¶ Atq; hæc illa sunt quæ de Oreste ab antiquis memorantur. Quod hæc ad historicam narrationem referenda sint omnia propè, nemini dubium esse arbitror. at quòd ita fuerit Orestes à furijs exagitatus ob parricidium, quod vel iussu oraculi commiserat, illud solum nobis est considerandum. Dicunt huic visas fuisse Furias, quæ ardentes faces assiduè illius oculis obijcerent, à quibus semper terrore horribili afficiebatur, per quas neq; diurno neque nocturno tempore quiescere licebat. hanc animi molestiam, atq; adeò hunc mentis furorè, conscientie stimulos fuisse constat, quibus scelerū flagitiorumq; sibi conscij homines exagitantur. cum nihil magis animum assiduè

torqueat, quàm præteritorum flagitiorum memoria, quod ita testatur Cicero in oratione pro Roscio Amerino: Nolite putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, eos qui aliquid impiè scelerateq; commiserint, agitari, & perterriti Furiarum tædis ardentibus sua quemq; fraus, & suus error maxime vexat: suum quemq; scelus agitat amentia que afficit: suæ male cogitationes, conscientiaq; animi terrent. Hæ sunt impijs assidua domesticæq; Furia, quæ noctes diesq; penas præteritorum peccatorum à cõscelestatissimis hominibus reperiunt. Nam cum nihil magis quàm præteritorum scelerum recordatio animum infestet, tum nihil magis hominum quieti, & tranquillitati cõfert, quam integritatis opinio, & nullius fraudis sibi esse conscium: quod per hanc fabulam antiqui significarunt. At nunc de Chimæra dicamus.

De Chimæra.

CAP. IIII.

CHIMÆRÀ mōstrum illud celeberrimū apud antiquos, Echidnae ac Typhonis filia fuisse dicitur, ut scripsit Hesiodus in Deorum ortu, ubi loquitur de Echidna in his:

ἡ δὲ χίμαιρα ἔτι κίη πέντε ἔχουσα κεφαλὰς ἑπτά,
 δεινὸν τε μέγαν τε, ποδῶν τε κρατερῶν τε.
 τῆς δ' ἔνθα ἔστι κεφαλὰί· μία μὲν χαροπόιο λέοντος,
 ἡ δὲ χιμαίρη, ἡ δὲ ὄφιοις κρατεροῖσι δράκοντες
 πρόσθι λίων, ὀπίθην δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
 δεξιὸν ἀπὸ πέντε πυρὸς μέγιστος αἰδομένοιο.

*Tam parit indomitas spirantem ex ore Chimæram
 Flammas, ingentem, celerem, fortemq; gravemq;
 Hinc tria erant capita: primum fuit acris leonis,
 At aliud capra, atq; aliud caput inde chelydris.
 Prima leo, postrema draco, media inæ capella,
 Qua graniter patula spirabat naribus ignem.*

Fabulantur hanc Chimæram Amisodari studio fuisse educatam, ut scripsit Apollodorus lib. 2. Bibliothecæ. Hoc mōstrum trium fuisse diversarum formarum, & è superioribus patuit, & Homerus ita expressit lib. 3. Iliad.

πρῶτον μὲν ἔα χίμαιρα ἑπτακεφάλην ἰκίλιον
 περὶ μέγαν. ἡ δ' ἐπίθην ὄφιοις γένος, ἐπὶ ἀνθρώπων
 πρόσθι λίων, ὀπίθην δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
 δεξιὸν ἀπὸ πέντε πυρὸς μέγιστος αἰδομένοιο.

Horn